

CCII.

- U. 16 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 334. f. per duas columnas probe exaratus, rubricisque distinctus continet *Nicolai de Lira O. M. Partem alteram in N. T. feu Postillas in Epistolas Pauli, in VII. Canonicas, in Apocalypsin et Actus Apostolorum*. Titulus miniatus: *Scriptum Nico. De lira super epistolas ad Romanos*. Initium: *Ecce descripsi tibi eam tripliciter &c. Postillas has mox ab inventa Typographia pluries lucem adspexisse notum est. Ad calcem: Expliciunt actus apostolorum Ni. de lira. finivi in vigilia ambrosij anno 1454*. In theca anteriore Codicis notatum nomen donatoris *Thomae de Wuldersdorf*, ut in praecedentibus aliis.

CCIII.

- U. 39 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 293. f. per duas columnas probe exaratus, et rubricis distinctus, venditus olim a. 1465. a Conventu FF. Praedicatorum *Vien.* ad quem per *F. Innocentium Stingelbaymer* testamento Patru sui *Christiani Stingelbaymer Eccl. Ratisbon.* Decani devolutus fuerat, ad librariam *rubee rose* exaggerato 369. Librar. Denarior. pretio, ut p. 1. notatur, continet: *I. Nicolai de Lira O. M. Expositiones super Epistolas Pauli*, et typis proditas et a nobis jam saepe indicatas, quarum initium: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.* et finis: *confirmetur in pre-*

senti et in futuro prestante domino nostro &c.

II. fol. 245. *Sequitur textus epistolarum Pauli*. Praesunt singulis brevia illa, ut in *Bibliis glossat. Argumenta*. Illud ad *Colossenses* incipit: *Colocenses et hij sicut laodicenses sunt asiani &c.* Unde arguo, spuriam ad *Laodicenses* Epistolam olim in *Epistolarum serie* semper eam, quae ad *Colossenses* est, praecessisse.

CCIV.

- U. 19 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 201. f. per duas columnas commode exaratus, rubricisque distinctus hunc praefert, minio Titulum: *Incipit Apostilla super Epistolas pauli Apostoli edita a fratre Nicolao de lira ordinis fratrum Minorum sacre Theologie doctore eximio*. Initium: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.* Finis: *confirmare in presenti et in futuro prestante Domino nostro &c.* Post quae paene repetitur Titulus addito *Anno domini MCCCC &c.* Saepius haec cum in ipsis *Lirani Editionibus*, tum in *Bibliis glossatis* sub prelum revocata sunt.

CCV.

- U. 938 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 124. f. per duas columnas commode descriptus, coloribus distinctus et olim Collegii *S. J. Viennae* eadem *Postilla* complectitur, sed prima Folia deperiere ita, ut nunc initium sit ab *Epistolae ad Romanos C. VIII. v.*